


Novum professorium honorem
præclarissimo at[que]
doctissimo, dn. m. Andreaæ
...

Colliandrum, Magnum,

1 Ic 1681 Wanochius, Andreas



National Library
of Sweden



8 29

35

NOVUM
PROFESSORIUM
HONOREM

VIRO

Praclarissimo atq; Doctissimo,

DN. M. ANDREÆ
VVANOCHIO,

HACTENUS REGIÆ ACADEMIÆ ABOENSIS
SECRETARIO, NEC NON PHYS. EXTRAORD.
NUNC VERO POL. & HIST. ORDINA-
RIO PROFESSORI CELE-
BERRIMO;

*Anno M.DC.XXC.I. ipso introductionis die, qui erat Quintus
Nonarum Maij, simplici hoc stylo inter tot plaudentium
vota congratulantur*

Fratres Germani.

A B O Æ,

Excudit JOHANNES Winter.

1681

Praclarissime Domine Professor, Evergeta Optime.



Um rerum in se redeuntium orbem fixis intuemur oculis, deprehendimus nil in mundo extingvi, sed vicibus descendere atque resurgere. Æstas abit; alter verò annus illam adducit. Hiems cecidit; referent illam sui mentes. Solem nox obruit; sed ipsam statim dies abiget. Stellarum ille discursus, quidquid præterierit; repetit. Pars coeli *levatur* assidue, pars mergitur. Sed quorsum hæc! Cum adeò infallibili & naturaliter prorsus immutabili tenore statas has vices in rebus inanimatis solers observet Natura, quis miretur voluisse illam hanc eandem seriem in ipsis hominibus observare? Hinc quotidie videmus homines nasci, quotidie emori, alios in aliorum loca substitui, officia per vices ab uno ad alium transferri. Quæ singulæ mutationes ordinatæ ita a Natura, in hunc collimant finem ut omnia primitus benè instituta conserventur, nihilquæ è statu suo deiciatur. Testantur hoc antiquorum Historicorum cum sacra tum profana volumina, moderna Experientia, & hoc die Academicæ Aboënsis fata. Renunciavit quippe non ita pridem Societati Academicæ Nobilissimus atque Consultissimus Dn. SAMUEL GYLLENSTOLPE Pol. & Hist. Professor Celeberrimus. Vir de re literariâ egregiè meritus, qui ut excellentissimo & omni Doctrinarum genere instructo ingenio atque mira docendi felicitate præditus, ita nobis Civis Academicus tanto viro orbatis magis dolendum, plorandum, lugendum. *Ast contemplamini cæli clementiam admirabilem, providamquæ, supremi Numinis curam! Ecce!* hoc die solenni ad hanc Professionem introducitur pompa, Praclarissimus Dn, Mag. ANDREAS WANOCCHIUS. *Eja ergo Civis Academicus, quid aliud decet quam ut Professore nostro novo, felix precemur tanti muneris auspiciis!* Hoc & ego qui multum me Excellentissimo Professore debere agnosco, pio & devoto facio zelo. *Ast* quid heic primum dicam? Antiqui morum censores tria esse quæ in omni conversatione homines sequi debent dixere. *Honestum, utile, jucundum,* illudque plerumque accidit, ut prout unusquisque benè vel malè fuerit institutus, ita sibi vel optimum finem, vel mediocrem, vel etiam levissimum proponat. Alii appetitui suo voluntatiqve satisfaciunt: Alii semper honestati utilitatem anteferunt, ad quam toto impetu rapiuntur & habendi cupiditate, usque eo occæcantur, ut eos omnis honestatis capiat oblivio: Rarum est quoddam genus eorum, qui humani expolitique sunt, ut rebus omnibus dignitatem anteponant, quibus laus, honor, gloria

gloria, fides, Justitia omnisque virtus proposita est, qui ad conversationem ea de causa libentissimè conveniant, ut vitam suam sapienter instituunt, ut animum excolant, ut omni genere virtutum efflorescant. Qvis autem est, *ô Cives!* qui hæc omnia plenius ac perfectius omni sibi industria comparaverit, quàm hic Præclarissimus noster Professor? Idcirco cum Virgilio jam mihi libet exclamare:

--- *Qua te tam lata tulerunt*

Secula? qui tanti talem genuere parentes.

Omnino Te fortunacissima sidera, cum primum in lucem ex matris utero prodires exceperunt, & cœlestibus donis accumularunt; Tibi *Saturnus* intelligentiam & sapientiam elargitus est: *Jupiter* felices & præclaras actiones: *Mars* animi constantiam & honestatis ardorem: *Sol* acres sensus & splendidas cogitationes: *Venus* immensam venustatem & mores vehementer amabiles: *Mercurius* promptum & acutum ingenium: *Luna* mirum dicendi leporem ac elegantiam. Quapropter non tam scitè quàm verè quondam Plato scripsit: *Gloriam esse laboris Filiam.* *Ecce!* Te nunc Patria tua suum Sponsum & Academia suum decus ac ornamentum appellat. Veni igitur Sponse, ad hanc amœnissimam Patriam tuam, ad hoc omnium musarum domicilium: Cape jam verum decus & dignitatem, ad quam Te parens omnium Natura, vel potius Deus ipse formavit. Quod si Te honestas movet: Quid honestius esse potest, quàm de Patria benè mereri? Si utilitas: Unde majorem fructum Tibi tuisque omnibus quàm de Patria deportare potes? Si jucunditas: qui locus esse potest domestica sede jucundior? *O jucundos igitur adolescentia tuos labores!* *O ter felicem Academiam Aboëensem!* Quæ tot in Ecclesia & Politia expedientissimos homines producit. *O faustum letumque diem!* *O veram Sanctam letitiam!* quid optatius, quid gloriosius, quid denique beatius nobis *ô Cives!* accidere posset? Hunc igitur nostrum Professorem obviis ulnis excipiamus, hunc omni qua possimus observantia prosequamur, colamus, veneremur: Cujus exemplo & doctrina & accurate intelligere, & polite eloqui, & præclare agere possimus. Cujus denique præsentia maximam Academia nostra gloriam consequetur. Quid jam postremo loco dicam Academici? Adhorter ne ad labores omnium laboriosissimum? Admoneam ne eum qui prudentissima aliis consilia dare atque optimè cavere consuevit? Verum enim verò ne rem videar absurdam tentare: Te summe Deus omnium parens: Te mens patris, æterna sapientia, rerumque omnium procreator Christe; Te totius mundi ani-

di anime, lætitiæ dator, almæ spiritus: Te, inquam, mystica Trias, triplex quidem numen, sed una virtus, una natura, Deus une: Cujus beneficio quidquid est in omni rerum universitate gignitur: Oramus omnes uno animo, una voce, ut hanc læticiam firmam, stabilem, certam & raram, non tantum in præsentia efficias, verum etiam deinceps in multa tempora conserves! Sit proinde Tibi Præclarissime Professor, tanti oneris honos faustus! Exorna hancquam pro virtute Tua nactus es spartam eaque defungere in Dei gloriam! Serenissimæ Regiæ Majestatis beneplacitum! Studiose juventutis Emolumentum & proprii nominis perpetuam laudem! Vale Præclarissime Professor; Vale inquam & inter ceteros tuos clientes Tibi commendatum habe.

MAGNUM COLLIANDRUM E. Filium

ΕΝΔΟΣΟΤΑΤΕ ΚΥΡΙΕ ΚΑΤΑΓΗΤΑ!



Μικρόν κακόν, μεγ' ἀγαθόν παρομιώδης λόγος γέγονε. Τὰ πτωχὰ μικρῶ ἀνάστα καὶ μέγιστα ἐκαλεῖ ἐπίστε συλλέγεταί. Ἐάν τι ποιήσης μετὰ τὰ πτωχὰ καλόν, πίνε κατὰ φέρειται, καλόν δὲ περιεστὶ. Ἐάν τι ποιήσης μετὰ τὴν ἡδονὴν κακόν, ἡδονὴν διαβάλλειν, κακόν δ' ὀδύνην. Ὁμολογῶ μὲν, ὅτι τὰ πτωχὰ ἔμετρίως χρεῖα ἐστὶ πρὸς τὸ διαθεῖναι σωφρονιστὸν ἐνδοξόν γίνεσθαι, ὅταν δὲ θεὸς ἀνδρῶσι πένθη νοήματα ἀποπέλει, καὶ τὰ ὀπίθη δέματα τὴν καμπήν τε καὶ ὀπίθημα λαμβάνει, τότε τὸ κόπων συντελικῶν ἀνάληψις ἡδεῖα δὲ καὶ ἐκείνη διδάσκει πρὸς τὰς μέσας τῆν ὀδὴν ἀλάτεια τρέχειν, χαλεπὸν γὰρ καὶ τραχὺ πρὸς τὰ ἄσπρα ὑπάρχει, μηδὲν ἦν τινος κόποις ἔμηνικέται ἥμιος ὑπερέχων, ἀλλ' ἄσπρα ὑπάρχει ὡς καινεύς. Ἀλλὰ τι δεῖ εἶναι τὰ ὀδύνη δειγμάτων πρὸς φέρειν τὰ οἰκτικὰ ἔχομεν, μηδὲ ἀρκαῖα, ἀλλὰ ἐπίστα. Εἰς σὲ Καταγήτα ἀξιότατε πένθε καλλίον συνέχευται. Μικρόν κακόν, μεγ' ἀγαθόν. Ἴδε! τὸ πτωχὸν ἡμῶν, τῆν δαπάνην μικρῶ καὶ τὸ ἀγαθὸν ἀγαθίδες ἔχεις. Ἐφυγες κακόν καὶ εὐρὴν ἀμεινον. Πόθεν τὸ αὐτὸ τὰ ἀγαθῶν μυρμηκία; ὁρῶν ἀπεκρίται ὀμνηρὸς. Ὁ εἰ δῶρον δὲ εὐτυχῶν βροτῶν, μηδαμῶς δὲ τὸ συγκυρίας καὶ τοχῆς αἰλίνας ἔδεν εἶσι. Σοὶ ἔν Καταγήτα πτωχὰ δέμενε πρὸς τοσούτης εὐδαμονίας ἐκ ἥμῶν συγχαίρω, ἅμα τῶν γονεῦσι, ὁμαίμοις καὶ φίλοις σε. Συγκαίρω καὶ τῶν ἡμῶν λυκείῳ πρὸς τὴν ἐλεύσεως σε. Καίρε ἔν Καταγήτα ἐνδοξοτάτε καὶ ἔρρασο!

αὐτογραφία ἐθήκε

PETRUS E. COLLIANDER,

Wex: Smol.